

Joachim Stockmann

**Programma Quo Ad Solemnem Nativitatis & incarnationis Salvatoris nostri Jesu Christi memoriam Devote & pie recolendam Cives Academici monentur**

Rostochii: Kilius, 1649

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734828179>

Druck Freier  Zugang



RU Progr. 1649

1) Joach. Schnobel

2)

3) Marcus Tischering

4) Joach. Stockmann

(5) Sebastian Meier Silberner Prozeß)



PROGRAMMA  
240  
AD SOLEMNEM  
NATIVITATIS  
& incarnationis Salvatoris  
nostri JESU CHRISTI  
memoriam.

*Devotè & piè recolendam Cives Academici  
moneantur*

P. P.

RECTORE  
JOACHIMO STOCKMANNO,  
Phil. & Med. Doctore & P. P.



ROSTOCHII,  
*Typis NICOLAI KILLII, Acad. Typogr.*  
ANNO M DC XLIX.





Eteres, natalitiis diebus  
sefe invicem conviviiis oble-  
tasse & Diis, pro salute libasse  
legimus; quorum alterum ne-  
glexit, alterum elegit Claudius  
Cæsar, qui natalem suum, toties  
quoties anno revoluto recurrentem, non con-  
viviis & delitiis, sed sacrificiis, & eucharisticis ho-  
stimentis sacrum & solennem transigi, lege jussit.

Dion refert, etiam natali Julii Cæsaris solen-  
nia sacra destinata fuisse. Romanos natalem suæ  
urbis quotannis non minus solenniter celebraf-  
se notum est. Quantas igitur solennitates, quan-  
ta, & quot holocausta sibi postulat hodiernus dies!  
qui non urbis conditæ, sed totius orbis redempti  
& renati natalis est, quo non Imperatoris alicu-  
jus, vel regis annuam memoriam repetimus,  
(non Alexandri Magni, cujus nativitate præ-  
petes duæ, duorum regnorum, Asiæ & Europæ,  
prænuntiæ aquilæ portenderunt; non Mithri-  
datis, cujus natali die, omni fide major, lucidif-  
sima stella apparuisse scribitur.) Sed totius mun-  
di monarchæ, æternam gloriam recolimus, qui  
non tam præviæ stellæ lumine, quàm proprio

fulgore coruscat, ipsumq; superat solem, quia  
iustitiæ Sol est.

qui *δ' αὖ* semper, nunquam non fuit, nunquam non  
erit, qui fuit antequam esset, & natus est ante-  
quam nasceretur, *ἀρχον*, *ἀναρχον*, *ἀμύτω* in cœlis,  
*ἀμύτω* in terris, matre antiquior, æterno patri æ-  
quævus filius.

Quis hunc diem, quis satis de prædicabit?

*Non, mihi si centum linguæ sint, oraq; centum,*

*Si dentur voces, quacunq; liquentibus auris,*

*Concipiunt varios variis accentibus ortus,*

*Illius possem leviter perstringere laudes.*

Hic est ille dies, quem fecit Dominus! hodie Deus  
homo nascitur, ita ut nec Deitati aliquid dece-  
dat, *quam conservat*, nec humanitati quicquam  
desit, *quam assumit*, hodie, qui sine corpore erat,  
corpus induit: qui aspici non poterat, aspicitur:  
qui tangi non poterat, tangitur: qui sine tempore  
erat, esse incipit: Filius Dei, filius fit hominis;  
ineffabilis majestas Patris dirigit mysterium;  
ineffabilis benignitas Filij assumit carnem, in-  
effabilis Spiritus potentia, & quæ orbe toto non  
concluditur, arcto concluditur in utero: natus  
hodie, qui nos creavit: datus ex divinitate, na-  
tus ex virginitate, natus qui matre esset junior:  
datus quo nec pater esset antiquior, natus qui  
moreretur: datus ex quo vita nasceretur: atq;  
sic,

fic, qui erat, datus est: qui non erat, natus est.  
Quid mysterii inquiris rationem? sufficit mysterium. nam si modum investigas, neq; finem tuum assequeris, & jam amisisti fructum. Cogitemus incredibilem filii Dei amorem! misericordiam immensam! gratiam inenarrabilem, humilitatem infimam! quem constituit heredem universi Deus, per quem fecit secula, splendor ejus gloriæ, character substantiæ, olim ob potentiam incomprehensibilis, nunc ob humilitatem admirabilis, descendit, ut misericordiâ conservet quicquid potentiâ creavit, ineffabilis majestas Dei, ὑπὲρ νόον, ὑπὲρ λόγον, ὑπὲρ κατάληψιν immensa, terribilis; horrenda, Deus gloriæ, Deus exercituum, hodiè id factus est, quod omnes sumus, absq; peccato tamen. Deus nasci ex homine voluit, ut ex Deo homines nascerentur. Olim ad imaginem Dei factus est homo, nunc imaginem hominis assumpsit Deus. Olim Deus hominem è glebâ terræ formavit; nunc illius causa ipse factus est, quod fecerat, ne quod fecerat, interiret. Quis unquam sic proprios parentes pater; quis fratres frater, quantum Jesus infensissimos suos hostes dilexit!

Hic est ille dies æternum inpervestigabilis, propter mysterii profunditatem, dies æternum honorabilis, propter beneficii magnitudinem.



Quare in amorem nati tanti nostri Evergetæ,  
nostri Emanuelis, cum sancta Ecclesia exardescamus & quibus hæctenus adhæsimus vitiis tanquam turpissimis scortis, renunciemus. Caveamus, ne, sicut Philistæi olim, puteos, quos Abrahamæ servi foderant, invidia agitati, ruderibus & terra opplebant, Nos festum præsens ad animi refectionem & Spirituales delicias consecrandas institutum, terrenis voluptatibus defædemus, & Spiritualia carnalibus obruamus; Quin & vos Domini studiosi quotquot Baccho litare, scorificis exactionibus, convivii & ludibriis præesse, interesse, plateas vociferationibus & ignominiosis Cantilenis implere, duella excitare, committere, laudi ducitis, pietatis, eruditionis & virtutis negligentissimi, Qui tot & tam paternas admonitiones spernitis, resipiscite tandem per Deum & ad meliorem mentem reversi, novam vitam, novos mores cum novo hoc anno induite. Quem nostræ Academia, huic urbi, toti provinciæ, communiq; nostræ patriæ Germaniæ, auspiciatissimum precamur & fortunatissimum; Deum invocantes, ut, quas Patulcius nescio quis, tot annos apertas tenuit, sive Jani sive Martis fores, nova subinde bella effundentes, potentissima sua dextera claudat, & pacem rerum omnium, quas homini novisse datum.

tum est, optimam, clementer pleneq; restituat.  
In cuius laudem exiguum hunc pæana subijcim?  
Sol oculus mundi, declivo tramite cursum  
Qui tenuit, sua nunc sursum vestigia vertit,  
Et totum ridet magis aucto jubare calum;  
An? quod iustitiæ, melioris luminis autor  
Sol oritur, geminaq; orbis sic luce coruscat?  
O bene, quod mutata dies sua gaudia prodat,  
Nascentem lata fronte exceptura Jehovah.  
Nascere nate Deo, dulcissime nascere Jesu,  
Vera Dei Soboles, aeterno aquaeva parenti,  
Quem pia virgo parit, nixu uno, hominemq; Deumq;  
Qui virtute almâ, quæcunq; creata, creasti,  
Supremaq; patris voluisti in sede morari,  
Annorum donec reuolutis ordine seclis,  
Te mundi indigenam vellent, & fata vocarent;  
Religio aeternis tenebris ne mersa jaceret,  
Mille sibi fingens diuos, idolaq; mille,  
Exesos carie truncos, & frigida saxa;  
Nascere nate Deo, mundi melioris origo,  
Omnipotens patris omnipotentis nascere verbum,  
Facta caro, humani sumpsisti corporis artus,  
Ut posses monstrare Deum, ne gens male sana  
Amplius auderet falsâ prætendere linguâ,  
Se Dominum nescire suum; Tua gloria toto  
Fam nota est cælo, nati incunabula Christi  
Angelici cecinere Chori, præconia laudum

Et

Et sylvis latè, latè Resonantibus antris;  
Inscia contactus mater, non inscia partus  
Autorem te virgo suum natumq; stupescit,  
Calorum regi splendentes muricecunas  
Deberi agnoscit, fœno præsepia sternens,  
Et cantu, & blandis submissâ voce susurris,  
Invitans molles ad dura cubilia somnos;  
In medio pecudum, te conflua turba salutat  
Pastorum, hac animo præsagia, vota q; volvens,  
Quod velis aeterni dulcissima pabula verbi  
Suppeditare, tuis lectis ab ovilibus, agnis;  
Quin tibi, quin etiam, qua terris triga remotis  
Advenit, astrorum monitr, pia triga Magorum,  
Thura Deo, myrrhamq; homini, regi exhibet aurum.

Sic notus, cui non notus dulcissime Jesu!  
Te facies hominem prodit, sed facta remonstrant  
Te simul esse Deum, tu noxia pectora solvis,  
Damnata aeternis Erebi, Satanaq; Catenis.  
Tu lucem cassis oculis, linguaq; loquelam  
Restituis, clausasq; aperis feliciter aures,  
Tu revocas animas in corpora functa priores,  
Et vitam remeare jubes, tu morte peremptus  
Immortalis ades, tu victâ morte triumphans,  
Caestem redis in patriam caestia regna.

P. P. in ipso festo Nativitatis Christi sub  
figillo Rectoratus die 25. Decembr.





nris decantandis: vel Bonorum  
 prclarorum Virorum rebus ge  
 riclitantur: At longè rectius, qu  
 ceditur, otium, in beneficiis Sof  
 C Hristi prædicandis, iisq; quã  
 tione celebrandis consumunt,  
 ejus Nativitate; vel crudelissima  
 vel de salutari resurrectione: ve  
 dem ascensione, versus, non e  
 stans ducentos in hora dictabat  
 ponunt, & hac ratione animum  
 flictum, & perculsum excitant,  
 gunt, & solantur: nec non studi  
 quo ad immensum sapientiã m  
 strant. Hic labos, si labos, & ne  
 cendus est, ut omni difficultate  
 ita quoq; voluptate, & utilitate  
 perioribus mensibus probè secu  
 tisimus, Præstantissimusq; Vir  
 BECHOVIUS, S.S. Theologiae Stu  
 becensis Collega industrius. Hi  
 cumfluat, & abundet, sed sempe  
 que, quod agat, habeat: ferias ta  
 cationes à laboribus scholastic  
 bus, quæ veræ recreationes fun  
 obambulationibus, commesat  
 vis convivii, idq; genti aliis, c

endo: vel  
 pendis pe  
 uod con  
 stri JESU  
 igatã ora  
 dmiranda  
 & morte:  
 riosa ejus  
 uno pede  
 atos com  
 mnisq; af  
 alios eri  
 uti amnẽ,  
 iat, mon  
 requies di  
 tia vacat:  
 Hoc su  
 dit Erudi  
 US TRIB  
 Schola Lu  
 non cir  
 privatim  
 nes, & va  
 cationi  
 re; quã  
 tempesti  
 , tùm ani  
 mam



the scale towards document